

nem pro quarto humore sumptum non respiciendo, nisi vel in floribus coloratis, & fructibus, vel in lignosa lacrymatione dulcis, acerei, pinguis-
 vè liquoris. Ex quibus omnibus succis parenchymatosæ partes per solam affusionem, quam erasistratus *παρέχυμα* vocabat, roris, cambii, & glutinis coalescunt. At quæ sunt oculis subjecta magis fidelibus hinc ad se nos raptim vocare videntur. Extrema totius corporis arborum pars cutis scabra plerumque, & ab intimioribus plus, minusve separabilis partibus, à quibus suam trahit originem maximoperè nerveam, cuncta tegit incorruptè, tueturque, & ibi solum pervia est, ubi germinibus egressus tenerrimus datur, præter inconspicuas porositates viventi transpirabilitate necessariissimas. Arborum porrò dignitatem non modicam ostendit erecta Stipitis, seu Caudicis statura ingens, in medio cujus Mathematico physico, idest in centro quantitativo, & Virtuali simul in Arbore perfectissimo, cylindrico nimirum ad amussim producto viscera locantur, à quorum linea centrali extenduntur hinc inde ramositates coxendicum, pedum, brachiorum, digitorum obliquè, & arcuat in Cælum spectantes, orbicularem collectivè sumptè, vel pyramidalem affectantes figuram, quas Generalissimas Arbores si describere seu definire vellemus Eresio principaliter esset adherendam. *Arbor est quod ab radice, caudice simplici, ramosum, nodosum, surculosum, haud facile dissolubile assurgit, seu Arbor est Animatum Corpus procerum, per amplum, organicum, solidum, primo alendi, & generandi præditum facultate ex se ipso, & non ex terra* (quicquid dixerint stoici) *suarum habens in ita actionum* Arboreæ mox cuti quæ subest Tunica superstans ligno, vel est Scissilis in tenuissimas, & plicabiles bracteas, quæ liber propriè dicitur; vel Nebilis in lanugineam, papposâ, flocciformi, seu substantiam facillimè transiens, membranæ in Homini-
 bus carnosæ, vel duplicibus Calvarie menyngibus similis; Musculosa dein Arboris substantia lignum propriè vocitata sese offert consideranda, quam Græci ob id *λύχρον*, & Hebræi eb hoc est luminis conservatricem porper illius combustibilitatem, & luminosâ flammæ conceptum, cui succi quandoque suggerunt alimentum lenti, pinguesque *ὀποι*; illa corpulentiam non modo tribuit Arbori, sed fortitudinem, & durabilitatis robur eximium, quo mediante motus cujusdâ localis, saltè secundum quid, contra ventorum præcipuè perfringentes violentias, particeps evadit & dum versus a boreû firmissimum principium eadè peccinatim fibrosa musculorum substantia movetur. COR ipsum tueri atque defendere naturaliter nititur, sic enim decet Membrorum Regem ad vitam vegetativam conservandam custodiri, quod viscus à cæteris sensibilibus, ut plurimum, dignoscitur partibus, semperque ratione percipitur; illud namque medium vegetabilitatis, & germinationis semper occupans carne duriori parenchymatosa, & ab aliis partibus aliquantulum diversa constat, cui si marcor, & morbosa contingat absumptio, quæ fluorum fletus excitet, seu torulos internos vitæ tortores advocet proximiori parti Arboreæ proprias demandare solet vices, ita ut sola etiam cutis officia cordis exercere solita sit, ut patet in Arboribus quæ cancerosa concameratione ligneam totam amittere substantiam, & sola cute permanente vegetationem suam continuant. Cordi concordant reliqua viscera Matricis, Lienis, & Jecoris, quæ cum

Arist. lib. 1.
de pl. c. 2.

Theopr. l.
1. H. pl. c. 3.
Celsus de
vniu. st. nat.
l. 1. c. 5.

Gal. in de
An. m.

Columel. l.
1. c. 3.

Petrus. l. 2.
Architect.
c. 9.

ipso realiter idemificata unum constituunt corpus pluribus præditum facultaribus, atque virtutibus; nam Cordis est seminales conceptus dirigere ad vitam, alimentales succos ad transmutationem promovere, & reliqua munia vegetationis perficere, & ideò Botanicorum Princeps Theophrastus cordis, Matricis, atque Medullæ nomina in Arboribus confundit, vocando centalem omnem Arborum partem *Miran*, & *Cardian*, atque *Melon* hoc est *Matricem*, & *Medullam* ex versione Gazæ secundum Hermolaum; Quam partem Vir præclarissimus Cardanus generaliori vocabulo *matricem nutritionis*, seu *matrem*, & totius Plantæ benignam *Altricem* nuncupavit, & practicum integer cæteris populari subscribens voci *Animam* appellavit; Hæc ea est, quæ Cylindricas caudicum Arborum Machinas, nè sub inquieta statione labascant conservat, eademque motiones omnes naturales variis & diversissimis instrumentis mediantibus, vel aereitati ferè simplici, quemadmodum in Arundine proximis, vel ad ferream duritiem accedentibus ut in Mytrodia Javæ minoris Arboribus perficit. Clarum equidem est cunctis Arboream hanc Extispiciam favores, vel injurias Cæli aptissimè posse detegere præcedentes, & futuras prædicere si omnes, & singulæ partes in Arboribus speciatim perpendentur in annos, stante Proverbii illius Geoponici probatissima Veritate: *Annum producere fructum non arborum*; plus enim debemus in fructibus recolligendis Cæli agentis beneficio influxui, quàm Terræ passivè obtemperantis oblato pabulo; nam Sol ipse Vernus verus Temporis novi Parens omnisque vividi viroris efficiens causa Herbaceas *Gemmas*, atque *Turiones* seu *Tuores* vitali propria ditat luce, ut illis tanquam fertilitatis oculis futuram annonæ copiam perspicere, atque tueri valeamus, hincque dementes, atque crudeles jure merito censeantur germinum hujusmodi præcisores, & luminum floridorum peremptores.

Invidet Arboribus crudelis lumina demens.

Germina quæ cadit, concutit, atque rapit.

Gemmatas ab utriculis hisce prodit felicissimè coloratus, & odoratus flos, *tantus veris honos, & odora gratia Flora*; Ubi providissimum naturæ genium, sæcundissimumque illius conjugium in quinis, & septenis coloratis, odoratis, noctaricisque datur admirari foliolis, eè multiplicatis Bonorû omnium largitoribus liberatissimis, quem sensu sequenti expressimus Disticho.

Omnia sunt tria, sed magis sunt quina omnia, septemque

Omnia; nam fundunt terque, quaterque bona.

Suum quoque spei plena Folia usum Officiale ostendunt, quæ ocularium palpebrarum, atque capitis, menti, cutisque, pilorum ad istar floribus venustatem, fructibusque sapiditatem fovent, atque diurna, & annua conversione ad solem omnes iisdem perfectiones è Cælo pendentes accersunt; nec Spinæ otiantur asperæ, Lanuginè vè molles obdormiscunt; nam injurias furaces istæ propulsant, atque contemnunt; dumque innumeras fructuum figuras, & mollia mixta duris in eorundem fructuum compositione aperire, & indicare videntur, penitentiorem quoque Animæ Arboreæ cognitionem nobis insinuant, cujus Aëtus *Phyton* dictus consistit, ex Leucippo, aliisque Philosophis in Ætherei vivacis caloris portione quadam, atque vapore benigno, & blando amice junctis,

lib. 1. Hist.
pl. c. 4.

Columel. l.
12 c. 48 &
L. 4. cap. 1. 4.
Apulejus
de Deo Socratis
Hippocrates
de nat. pueri.
Martialis l.
6. ep. 80.

Erasmus in
chiliadibus.

Ruell. de
nat. st. l. 1. c.
10. Colum.
l. 3. c. 17.